



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

45. Cap. Directio conscientiae ex mente Theologorum in solatium
scrupulosorum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

Hæc dicta sint in solatium eorum, qui teneram nacti sunt conscientiam, quod non raro ea res angit, eò quod dubitationibus suis se nequeant expedire: verum id quod sequitur, scrupulosis non mediocri erit consolationi.

CAPVT XLV.

Directio conscientia ex mente Theologorum in solatium scrupulorum.

SI is, qui tibi à confessionibus est, scrupulosum te esse dixerit, potes, imo debes illi fidem habere, penitusque in animum inducere ejusmodi te esse, ac proinde privilegijs, quæ scrupulosis concessa sunt, sine ulla anxietate tibi frui omnino licet.

Qui scrupulosus est, nunquam aliquid confiteri debet, nisi certo sciat hæc tria simul. *Primum* est, se illud fecisse; *Alterum*, noxam se commisisse mortiferam; *Postremum* est; nunquam se eam esse confessum, deque his tam certus sit oportet, ut interrogatus, tria hæc jurejurando affirmare audeat.

Si dubitet, imò si peccatum mortale admisisse, aut illud nunquam declarasse

sibi videatur; illud tamen subijcere clavibus nequaquam debet, dubitationesque, atque opiniones suas omnes potest contemnere.

Sic, inquires, fieri posset, ut aliquid, quod reverà peccatum mortale est, in confessione omitteretur; non diffiteor; idcirco tamen non est quod cogites, malo in statu te fore, si quod forte hujusmodi peccatum, quod nunquam in sacro tribunali aperuisti, à te esset perpetratum.

Si enim bonâ fide confessionem instituisti, omnia peccata tua fuere condonata, etiam illa, quæ vel memoriâ exciderant, vel quæ omisisti justâ de causâ, exempli gratiâ, quia juramentum præstare non audebas mortiferas esse noxas.

Præterea cum sæpe per diem ex sincero in Deum amore, nullo ad mercedem, vel pœnam habito respectu, peccata detuleris, contritio illa tanti valoris est, ut vel sine Sacramento pœnitentiæ, quin imò sine distinctâ singulorum peccatorum recordatione, eorum omnium, quantumvis licet magna sint, culpam extinguat, atque aded meritas piacularium flammaram pœnas aut diminuat, aut omninò tollat, pro majori aut minori doloris intensione, quamvis hic unum dumtaxat

dumtaxat temporis momentum duratione adæquaret.

Non est igitur quod subverearis, ut mortiferę noxę, quas forsitan perpetrasti, quasque in confessione non exposuisti, tibi sint remissę: nam qui integrę, aut justis de causis non integrę confiteatur, elicito imperfecto dolore, is vi absolutionis de attrito fit contritus.

Si quando scrupulosus ex consilio ejus, qui conscientiam illorum dirigit, confessio obsit, possunt ac debent ei credere, sibi que firmiter persuadere, se, dum id imperatur, omisã confessione mensam eucharisticam accedere & posse, & debere; quamvis multa gravia crimina se perpetrasse putent.

Injuriã afficimus Deum, quod de infinita ejus bonitate tam abiectę sentiamus. Pœnitentię Sacramentum instituit in subsidium, & levamen, atque in solatium delinquentium; non est igitur ejus voluntas, ut illo utamur in grave animę nostrę detrimentum.

Abusus etiam frequens est multorum, qui varios ignotosque sacerdotes accedunt, eosque celant, se à consueto conscientię suę arbitro scrupulosos haberi; sic enim non rarò contingit, ut causa
sint,

sint, cur ignoti illi, quibus reos se fi-
stunt, in iudicio de prolatis culpis for-
mando, graviter aberrant.

Ejus itaque, quem tibi à confessioni-
bus elegisti, quique animum tuum pe-
nitens perspectum habet, acquiesce con-
silijs, & certo scias rem te facturum Deo
longè gratissimam. Hoc inter reliqua
omnia efficacissimum est, ut saneris, re-
medium.

*Vir obediens loquetur victoriam, inquit S.
Scriptura.*

CAPVT XLVI.

DE MORTE.

Mori, est in alterum abire mundum,
vel ut in cœlum transferaris, vel
ut ad inferos detrudaris.

Mori, est vitam, & quidquid hîc possi-
detur, amittere, sine spe quidquam illo-
rum unquam recuperandi.

Parentibus, propinquis, superbis ædifi-
cijs, agris, amœnis pratis, honorificis
muneribus ac dignitatibus tuis aliquandò
(velis nolis) nuntium remittere te oportebit.

In morte relinquuntur omnia, omnia in
manus transeunt alienas; nihil, nisi sola
virtus, nos comitatur. Mors